

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0327

0325

0331

0321

0336

0316

0376

0276


0426

0226

0826

Ende

Anfang



314

qui anno Domini 1240. imperator Constantinopolitanus fuerat factus, sed per Graecos, Latinis semper infestos, ignominiose fuerat ejectus et loco ejus Michael Palaeologus, Graecus, intrusus. Hic ergo Balduinus Caroli regi Jerusalem suavit, ut imperium Constantinopolitanum invaderet, et eo adepto faciliter regnum Jerosolymitanum habere posset. Erat quippe Carolus potens, nec grande sibi videbatur, Constantinopolin premere. Dispositis ergo multis armatis navibus et magna classe parata cum adjutorio ecclesiae et regis Franciae et Venetorum ad expellendum Palaeologum de Constantinopoli proficisci paratus erat. Sed odio quorundam Latinorum, qui ei non favebant, mirabili practica impeditus fuit; itaque nec imperium Constantinopolitanum accepit nec regnum Jerosolymitanum possedit.

Post haec anno Domini 1282. rex Armenorum, qui sunt Christiani, confederatus fuit regi Tartarorum contra Soldanum, et ingressi Syriam multas civitates abstulerunt Soldano Aegypti, inter quas Jerosolyma fuit capta et iterum Christianis orientalibus tum subjecta, sed prodicione cujusdam quasi statim a Sarracenis reaccepta.

*) Rex ille Tartarorum fratrem habuit Christianum, Tandagar nomine, et filium baptizatum, Argon dictum. Todagar autem abnegata fide Christi Sarracenus factus est et saevissimus Christianorum persecutor. Hunc Argon filius fratris sui interfecit et Christianorum ritum valde ampliavit et Sarracenos ubique impugnavit conabaturque liberare Jerusalem.

Anno Domini 1288. fuit factus imperator Tartarorum quidam dictus Casanus, parvus quidem corpore, sed animo magnus, despicabilis vultu, sed mente venerandus, quia virtutibus ornatus, sapiens in bellis et sagax, et amicissimus Christianis et civitati sanctae et dominico sepulchro devotissimus, sicut rei ostendit eventus. Hic in principio, quando factus fuit imperator, erat paganus, sed jucundo modo factus fuit Christianus. Nam factus imperator fecit quasi alter Ahasverus inquiri per universa loca orientis de speciosiori puella, non

*) Notula ab auctore margini apposita indicat, omnia, quae in sequentibus legantur, sequenti demum folio (nostrae editionis pagina 317 ad signum **) inseri debuisse. Editor.